

celstudo. In gloria est Dei Patris constitutus, & tamen ibi non respuit seruilium conditionem, nec dedignatur coniungere maiestatem principis cum seruorum habitu. Instruantur & principes seculi, quod tunc magis fastigium eorum maiestatis clarificat, quando in ostentatione suae magnificentiae seruilis officia non reculant.

92. Nicol. Caba. Quarto. Auctor Graecus Nicolaus Cabas. lib. 4. de vita in Christo. Etiam in futuro, ait, quando cum virtute adueniat, & cum paterna gloria apparebit in ostensione, in regno suo: praecinet se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Hoc quippe modo germano, veroque regno sibi regnabit, & ipse sibi ad regnum sufficiens. Expande haec vultima verba. Temporales reges, etsi potentissimi sint, sibi non sufficiunt, multa ministrantur turbam indigent, vt regni negotia persoluant; At solus Christus sibi est abundantissimus, etsi multos habeat ministros, ipse tamen per se solum omnia praestat, ipse suos facit discumbere, & transiens, ac circumpiciens ne vniciue aliquid desit, sed vt omnes multis donis repleantur, & ipse ea illis ministrat, solus sibi abundantissime sufficiens.

93. Quinto. Ad eadem verba citata. Quando cum virtute veniat & cum paterna gloria apparebit in ostensione, in regno suo. Christus Dominus cum in forma Dei esset semetipsum exinanivit formam serui accipiens. Ad Philip. 2. num. 7. Vt tanquam seruus hominibus ministraret, constitutus ergo in gloria Dei Patris in ostensione suae maiestatis, non obliuiscetur antiqui sui muneris ministrandi, sed adhuc illud soluit, & adimplet. Sexto. Christus ipse est omnium Dominus, vt etiam introducit in parabola, cum Dominus venerit. Cui omnes debent famulatum praestare, tamen ipse ministrando vult obsequia exhibere. Elegit enim potius legi amoris, quam maiestatis iuri satisfacere; nam et si ius maiestatis exigebat, vt in throno resideret, tamen amoris vis impellebat, vt suis tanquam seruus ministeria persolueret. Septimo. Nos in hoc seculo Christo seruiamus, eique obsequia nostra deferimus, ipse etiam per semetipsum vult in nos praemia conferre; o quantum distat ab hac ordinatione humana conditio, vni enim obsequia damus, alter vero remunerationem praestat.

94. Octauo. Vt ait D. Ambrosius lib. 5. in Luc. Qui domicilio Christum recipit intereo, maximis delationibus exuberantium pascitur voluptatum. Quia serui maxime se preparant lumbis praecinctis, lucernis ardentibus, multaque vigilia, vt Dominum, eiusque praesentiam ac corpus exciperent, ideo digni fuerunt, vt dulce conuiuium, regias epulas, suaves delicias eis ipsemet Dominus ministraret, cuius praesentia, ac corpus omnes nostrae diuitiae sunt; Vnde Clemens Alexandrinus Christum Dominum maxime in sacramento Eucharistiae, sanctum latitiae fluentem appellauit.

95. Nono. Cum venerit Dominus praecinet se, & faciet eos discumbere & transiens ministrabit illis. In quo maxime notandum, quod semel se dicit Dominum. Cum venerit Dominus. Quatuor vero seruorum insignia sibi adscribit; praecinet se, quod proprium ministrorum erat, faciet eos discumbere, tribuens sedes vniciue iuxta suum ordinem, transiens. Deambulando per mensas, vt videat, an omnibus omnia necessaria suppetant. Et tandem, ministrabit. Vnde praelate dixit D. Petrus Chryzolog. sermon citato 24. Faciet eos discumbere, &

91. Deum regnum sibi sufficiens, aliis non indiget. Satisfacit Christus potius amoris, quam maiestati. Vna dominatio multa seruorum ministeria habet annexa. Chryzolog.

ministrabit illis. En mutatio inaudita rerum, en correptio dominationis. Vix semel se dicit Dominum, ipsamque dominationis vocabulum quadruplici seruorum nota corripit. En terribilis correptio dominationis. Vt fiat manifestum celstitudinis, ac praelationis fastigium non dari, vt quis dominatu, ac requie gaudeat, sed vt multiplici labore ministrat.

Ait Deus Hieremiae, cap. 1. num. 10. Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna: vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipas, & edifices, & plantes. Ecce Hieremia constituitur princeps super gentes, quoniam tanti principatus ei signa dantur, corona, vel sceptrum, vel Thronus? Minime. Imo nihil ei promittitur, quod dominatum sonat, sed quod laborem fabri, ac hortulani importet, en terribilis correptio dominationis. Semel dicitur constitutus super gentes, quod principatum inuoluere videbatur, & statim ipsa dominationis vox sex laboriosis muneribus tegitur, ac emendatur, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipas, & edifices, & plantes. Vt denotetur, quod constituitur princeps, non ad requiem, sed ad laborem, ac sudorem. D. Bernardus expendens per facta Hieremiae verba lib. 2. de Considerat. Vt euellas, & destruas. Quid horum, ait, fastum sonat? Rusticani magis sudoris schemate quodam labor spiritualis expressus est. Disce exemplo Propheta praesidere, non tam ad imperitandum, quam ad factitandum, quod tempus requirit. Disce sarculo tibi opus esse, non scepro.

Quaerit D. Augustin. lib. 2. de mirabilibus factis Scripturae cap. 28. Cur signum sanitatis Regi Ezechiae concessa datur in sole? Respondet Sanctus Doctor. Conuenienter, ait, tale signum regi in mortis expectatione postio potissimum inuenit, scilicet Propheta, quod Dominus per solem fieri taliter congrua dispensatione disposuit. Regi in sole constituitur signum, nam sol habet suum praesidendi munus, planetarumque Rex est assignatus, & taliter praestit, vt non resideat in throno, nec in vno loco fixus permaneat, sed absque vlla quiete, ac morula etiam instantanea rapidissimo cursu fertur omnibus suam lucem, ac influentiam ministrans. Et notandum, quod non postulat Ezechias, vt sol ascendat decem lineis, sed potius, vt reuertantur totidem gradibus. 4. Reg. 20. num. 9. Quia superior non lineas, idest alios absque suae lucis communicatione praeterire, vt ipse respiciat, sed potius debet reuerti, ac se dimittere, vt hi, qui a tergo sunt suae beneficentiae luce fruuantur.

Dupliciter Sancta Magdalena vnctionis obsequium Christo praestitit. Primum pedibus eius in domo Simonis. Lacrymis cepit rigare pedes eius, & vnguento vngebat. Luc. 7. num. 32. Secundum in Bethania prope Passionem, quando ipsa habens alabastrum vnguenti pretiosi effudit super caput ipsius recumbentis. Matth. 26. num. 7. Quod ponderauit Cardinalis Petrus Damian. lib. 2. Epistol. 2. Beata, ait, illa peccatrix prius pedes Domini vnguento perunxit, postmodum alabastrum vnguenti pretiosi super caput recumbentis effudit. Cui Sancta Mulier illud sacrum ministerium prius pedibus, quam capiti adhibet? Caput dominationis potestatem denotat; pedes, vero seruiendi, ac ministrandi signa sunt. Indequ prius ad pedes, quam ad caput vnguento fertur religiosa femina, vt fiat euident, quod in principe prius consideranda est seruiendi ratio, quam dominandi potestas; priusque

96. Ierem. Dominus constituitur, vt multum seruiat. 99. Rex veluti sol, qui non quiescit, sed influendo currit. 101. Diuina beatitudo, nec fingendo, nec fabulando potest homo explicare.

que attendendi sunt pedes, vt deambulent in ministerio, quam caput, vt corona fulgeat, ac resplendeat.

QUESTIO XIV.

Quare non explicantur dapes, quae Dominus in mensa caelesti ministrabit?

ARRAT Euangelista, quod conuiuio excipiet Dominus suos in gloria, & faciet illos discumbere, scilicet in caelesti mensa. Et subdit: transiens ministrabit illis. Cur huius conuiuij ferula non explicantur, sicut referunt ea, quae Abrahamus Angelis apposuit Mambre? Genes. 18. num. 6. panes scilicet, lac, vitulum, & butyrum; nec etiam describitur tempus durationis huius conuiuij, vt assignantur centum & octoginta dies in epulis Assueri, Ethet 1. num. 4.

Ab hoc secundo incipio. Conuiuium hoc exprimebat felicitatem aeternae beatitudinis, quae nulla temporis duratione finitur, sed in aeternum perdurat. In primo orbis artificio sex priores dies vespere, & mane terminantur. Genes. 1. num. 5. At vero septima dies, in quo Deus requieuit ab vniuerso opere, quod pararat, cum quietem aeternae beatitudinis exprimat, nullo vesperi clauditur, Genes. 2. n. 2. Quod perbellè notauit D. Augustinus lib. 4. de Genesi ad literam cap. 18. Requies creaturae, ait, habet initium, sed non finem: ideo septimus dies cepit a mane, sed nullo vespere terminatur. Cur ergo caeleste conuiuium nullo fine claudatur, inde terminus eius durationis non assignatur.

Ad primum vero, & principale quaestionis quaesitum, cur non exprimentur ea, quae Dominus in hac caelesti mensa est ministraturus: Tot ac tanta sunt aeternae beatitudinis gaudia, ac dona, quae omnem superant dicendi copiam, ac sermonem, vt nulla lingua explicari valeant illa verba Pauli 1. Corinth. 2. num. 9. Oculis non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quae parauit Deus diligentibus se. Tractans D. Gregor. Nazianz. Apolog. 3. Quae, ait, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec intellectus pro potestate, atque arbitrio beatitudinem fingens vnquam informauit. Intellectus humanus pro sua potestate, & arbitrio veritatis terminis non coarctatur, sed habet efformare chymaram, multa fingere, ac effabulare, quae nunquam fuerunt, nec visa, nec audita; nec a Poetarum figmentis decantata: tamen tanta est altitudo, ac excellentia diuinae beatitudinis, vt etiam intellectus noster audacissime fabuletur, ac figmentum quoddam valde magnum imagineatur, etiam cum multa exaggeratione mentiendone quid minimum beatitudinis non poterit inuestigare, nec pertingere. Nec intellectus pro potestate, atque arbitrio beatitudinem fingens vnquam informauit.

Mandauit Deus Moyse. Facies & propitiatorium de auro mundissimo, duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo eius, & cubitum, ac semissem latitudo, Exod. 25. num. 17. In structura propitiatorij exprimitur eius longitudo, latitudo, non vero altitudo. Cum arca mandatur fabricari, triplex illa mensura in ea declaratur, longitudo, latitudo, & altitudo; cur ergo in propitiatorio duobus illis

101. Mandauit Deus Moyse. Facies & propitiatorium de auro mundissimo, duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo eius, & cubitum, ac semissem latitudo, Exod. 25. num. 17. In structura propitiatorij exprimitur eius longitudo, latitudo, non vero altitudo. Cum arca mandatur fabricari, triplex illa mensura in ea declaratur, longitudo, latitudo, & altitudo; cur ergo in propitiatorio duobus illis

102. Syluerra in Euang. Tom. IV.

expressis, altitudo supprimitur? Sunt & graues Auctores, qui in triplici illa mensura propitiatorij, iutelligant triplicem hominem statum, super quem diuina pietas erga hominem se maxime declarauit; per longitudinem interpretantur statum naturae hominis, qui nobilitatur intellectu, voluntate, ac memoria; per latitudinem, iustificationem accipiunt, quae perficitur ex largitione diuinae gratiae, & cooperatione liberi arbitrij. Per altitudinem denotare volunt glorificationem in beatitudine; inde est, quod licet longitudo, & latitudo propitiatorij apponatur, illius ramen altitudo praeremittitur, quia altitudinem, ac sublimitatem diuinae gloriae nullus intellectus capere, ac intelligere valet, nullisque ad tantam rerum maiestatem idoneus sermo inuenitur. Richardus Victorinus: Pertinet, ait, ad eius altitudinem ea, quae sunt ad nostram glorificationem, sed quis, quo sensu comprehendat, in quibus nostra constat? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, hinc facile penditur cur propitiatorij altitudo mensura non praescribitur.

Ad illum diem septimum creationis iterum reuertamur. Ait Scriptor Canonicus, quod Deus benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, Genes. 2. num. 3. Dubitabis tamen, quare non explicatur ista benedictio diei septimi, quidve importauerit? Cum maxime exprimentur benedictiones aliorum operum. Nam creatis animantibus. Benedixit eis dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, Genes. 1. num. 22. & creato homine, ac muliere. Benedixit illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, &c. Genes. 1. num. 28. Cur ergo cum haec benedictiones narrentur, illa diei septimi, quid diceret, tacetur? D. Augustinus iam datus in hac quaest. & Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 14. Beda, & alij existimant diem septimum ob sui quietem aeternam felicitatem adumbrare; indeque in sua benedictione tacet denotatum supernae patriae benedictiones aded sublimitatem, vt nec verbis, nec sermone exprimi, ac capi valeant. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 6. quaest. 5. num. 35. & 36.

QUESTIO XV.

Quare dicitur, quod Dominus praecinctus ministrabit?

MAXIME est explicandum illud, quod satis arduum videtur, quonam pacto Deus in caelo ad ministrandum beatis vberim s gloriae delicias praecingat se; quid est Deum ad ministrandum se praecingere? Quid haec praecinctio importat?

Respondet primo Euthymius: Praecinet se, ait, iustitia retributionis. Christi praecinctorium iustitia. Isaia 11. num. 5. Et erit iustitia cingulum lumborum eius. Cum praemia largitur, iustitia praecingitur, vt iusti plurimum in modum condecorentur, cum eorum praemia non amoris affectu, sed iustitiae pondere conferantur.

Respondet Theophylactus in Catena D. Thomae: Praecinet se in eo, ait, quod non totam vberitatem bonorum largietur, sed hanc cohibet secundum ceteram mensuram, quis enim Deum capere, NN potest.

Altitudinem beatitudinis nullus potest capere, & intelligere. Richard.

103. Genes. 2.

Genes. 1.

Genes. 1.

August. Rupert. Beda. Caestis benedictio sermone inexplicabile.

104. F. Difficilis quaestio.

105. Euthym. Praemia ex iustitia. Isaia. 11.

106. Theophyl.

potest, quantus est! Dicitur Deus praeinctus ministrare, quia nullus beatorum Deum comprehendit, sed quasi praeinctum videt; nemo enim eorum videt adaequatè in Deo omnes eius perfectiones, ac immensitates, & omnia quae in eo sunt intelligibilia, ac visibilia, Deus enim incomprehensibilis est ab intellectu creato; veritas autem illorum bonorum unicuique iuxta suorum meritum mensuram manifestatur. Hanc sententiam sequitur Toletus in Commentario.

Deum incomprehensibilem.

Tolet.

177. Chrysol.

Tertiò. D. Petrus Chrysológus serm. 24. Discumbenti homini, ait, Deus astat, & astat in caelestibus: epulanti seruo seruit Dominus, & seruit acinctus: pueris suis ministerium facit Christus, & facit in Patriis gloria constitutus. Qui tibi in terra lauando pedes extremum repraesentauit obsequium, & repromittit in caelestibus nouissimam seruitutem. Cum Iesus degeret in vita, non solum suis in vltima cena parauit conuiuium, sed etiam linteo se praeinxit, vt eorum pedes laueret; sic & in gloria Patris constitutus praeingit se, vt suis ministraret, vt fiat euident, quod huiusmodi ministratio, non ex aliquo occasione euentu, sed ex sui animi ingenuitate prouenit. Non enim meus Iesus instat mundalium ex occasione viuunt, sed ex sua intrinseca animi propensione mouetur, & ministerium, quod inter homines exhibuit, adhuc inter angelos praestat, sicque delectatur, quod praeinctus hominibus ministrat, vt inter delicias Patris gloriae ei deliciae sint suis praeinctus ministrare.

Christus ministerium, quod gerebat in terris, adhuc in gloria Patris praestat.

Suis ministrare deliciae gloriae Christi.

108. D. Thom. Theophyl.

Quartò. D. Thomas. Dixerat Dominus, sint lumbi vestri praeincti. Ex quo, ait, percipimus, quod similia nobis retribuet, dum succinctis se praeingit. Idem etiam habet Theophylactus: non paritur Dominus à suis vinciri: talem se suis exhibet, quales se sui illi exhibuerunt. Vide tom. 2. cap. 18. quæst. 6. num. 32. & tom. 3. cap. 9. quæst. 14. num. 99. & cap. 34. q. 5. num. 25.

Vt homo se exhibet Deo, & Deus illi.

109. Theophyl.

Quintò, & maximè ad literam, vt iam dixi in expositione ex Eurhymio, & docet Theophylactus, esse praeinctum idem valere, ac esse omnibus modis paratum ad ministrandum, & quia Christus introducebatur in parabola ministrans aeternam beatitudinem, vt habitus muneri corresponderet, praeinctus ad ministrandum describitur.

Habitus correspondeat muneri.

110. Duplici veste valde diuersa describitur Mardocheus indutus sacco, ac sparso cinere super caput, Esther 4. num. 1. Iterum vero splendidissimo ornatu. Mardocheus autem de palatio, & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regis, hyacinthinis, & coronam auream portans in capite, Esther 8. 15. Vnde tanta diuersitas, vt modo sacco, modo purpura vteretur: quomodo purpura cum humilitate, ac modestia Mardochei conueniebat? Audito decreto regis Assueri de nece Iudeorum ad deplorandam stragem sui populi sacco vititur Mardocheus; at verò quando procedit ad suum populum tuendum à crudeli morte, vt ostendat suam potestatem, ac familiaritatem erga Regem, aurea, & splendida veste circumponitur; nec semper sacco, nec semper purpura, sed pro conditione, ac statu amictus variatur. Ad quod respiciens Petrus Damianus Opusculo 12. cap. 19. ait: Quidam autem, ait, ad tanta mortificationis celsitudinem peruenerunt, quod tam ad vtraque velut insensibiles facti, sicut vilibus indui consuevit expetunt, ita etiam ubi res exigit, pretiosa quæq; vel nitida nullatenus perhorrescunt.

Mardocheus variè induitur pro varietate status.

Damian.

Multum difficilis est quæstio; nam postquam Samuel reprehendisset Saul, eo quod funditus non deleret Amalech, & Agag regem eorum vitium cum multa præda referuisset. Subdit Scriptura: Non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis sue, 1. Regum cap. 15. num. 35. Id est, non vidit eum amplius in vita sua, vt communiter commentantur Expositores Abulens. Lyran. Carthusianus & alij. Tamen postea cap. 19. num. 24. dicitur: Expoliavit etiam ipse (Saul) se vestimentis suis, & prophetauit cum ceteris coram Samuele. Angelomus: Ecce, ait, magna quæstio, in primo loco dicitur, quod Samuel non viderit amplius Saul in vita Saul, in secundo verò textu asstruitur, quod viderit eum coram se prophetantem, respondet ipse antiquus, & eruditus Auctor. Non vidit, ait, indutum habitu regio, quo indutus erat, ideoq; dictum est: non vidit eum usque ad diem mortis sue. subauditur, indutum habitu regio. Optime cohæret vterque locus, Samuel non vidit amplius Saul; nam licet secunda vice viderit, cum tamen à regali habitu esset spoliatus, non eum vt regem reputauit; ita enim indumentum debet esse proportionatum statui, quod si ille homo exuatur, exui & videtur dignitatem, in qua aliàs licet constitutus existat. Vide tom. 3. cap. 5. q. 2. num. 16. & cap. 14. q. 12. num. 124. 126. & 127.

111.

1. Reg. 15.

Abulens. Lyran. Carth. Ang. 1. Reg.

Habitus correspondeat personæ.

LUC. 12. n. 38. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenierit, beati sunt serui illi.

VERSIONES.

Syriacus. Si vigilia secunda aut tertia venerit, & ita inuenierit, felices serui illi. Vatablus. Siue tertia vigilia. Arabicum. Inuenierit eos facientes sic.

EXPOSITIO IV.

Si venerit in secunda vigilia. Circa medium noctis, Et si in tertia vigilia venerit. Post medium noctis, vt clarius constabit ex quæst. sequenti: hac parabola admonet Christus iuertam mortis hominum, & aduentus Christi horam esse, quam obrem oportet continuo omnibus horis, ac momentis vigilare. D. Gregorius homil. 13. Horam vltimam, ait, Dominus noster idcirco voluit nobis esse incognitam, vt semper possit esse suspecta: vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Quia igitur momentis suis hora fugiunt, agite fratres charissimi, vt in boni operis mercede teneamur. Sequitur textus, Et ita inuenierit. Seruos paratos, ac vigilantes. Beati, seu felices; vt habet Syriacus, sunt serui illi. Beatiores erunt, maioræque beatitudinis præmia assequentur, quanto maior extitit eorum labor, vigilia, ac perseuerantia.

112.

Gregor.

Syriac.

QVA

QUESTIO XVI.

Quare exprimitur tantum secunda, & tertia vigilia, & prætermittitur prima, & quarta?

113.

EST RAT apud antiquos nox distincta in quatuor partes, seu vigilias, singulæque tres horas continebant. Prima vigilia incipiebat noctis initio, tribus horis exactis succedebat secunda vigilia, quæ media nocte finiebatur: à qua incipiebat tertia vigilia, durabatque per alias tres horas, post quas adueniebat quarta vigilia, perdurabatque vsque ad auroram, seu Solis ortum. Quæstio præfens est, cur secunda & tertia vigiliae meminit; non verò prima, & quarta?

Ratio difficultatis.

114.

Iansen. Caietan. Luc. Burgen.

Respondent primò communiter Expositores Iansenius, Caietanus, Lucas Burgen. & alij, vt Dominus in similitudine à nuptiis desumpta perfeueraret, quia nec tam cito, nec tam sero redire à nuptiis mos erat, quia circa medium noctis vt plurimum soluebantur; & ideo nec prima, nec quarta vigiliae mentionem facit; nam in parabola attenditur ad id, quod communiter accidebat.

115.

Abulens.

Secundò. Abulens. Matth. 24. quæst. 25. Lucas, ait, secundam, & tertiam vigiliam posuit, quia in prima, & quarta non est difficile vigilare. Et ideo expressit secundam, & tertiam vigiliam, quia in illis excubias agere est difficile; nam tunc somnus est certior & profundior, sicque admonet omni tempore vigilandum, præcipue quando grauior somnus, ac multum deliciarum tempus huius sæculi videntur adesse. Media nocte, ait Dominus Exod. 11. num. 5. egrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenium in terra Ægyptiorum. Cur media nocte tanta mortuorum cades ab Angelo insiguitur: pro magno cunctorum documento. Tunc enim altius dormiebant, & sopor profundior vrgebat, stratisque eburneis luxuriabant, quandoque nullo perturbante insidiatore, nulloque morbo premente, iuuenilis ætas tota deliciis incubebat, repente venit atra mors, & adolescentis Ægyptiorum filios peremit. Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 17. Poterat, ait, media die, cunctis vigilantibus fieri cades primogenitorum: cur ergo potius media nocte, dormientes placuit interfici? Videlicet vt historicum etiam exemplum dormientibus proficeret, atque ad vigilandum eos percelleret, scientes, quia quisquis exemplo Ægyptiorum thesaurizabit sibi iram Dei, nihilominus exemplo eorum, improuisam accipiet vindictam.

Exod. 11.

Sæpe tunc venit mors quando homines magis delictis indulgent.

Rupertus.

116.

Bostrenf. Gregor. Beda. Alb. Magn. Bonauent. Hugo. Cathuf.

Tertiò Titus Bostrenf. D. Gregorius homil. 13. Beda, Albertus Magnus, D. Bonauent. Hugo, & alij inquirunt. Quod prima vigilia est pueritia, secunda est iuuentus, tertia est vitilis ætas, quarta existit senectus. Carthusianus sic computat. Prima vigilia, ait, est pueritia, secunda iuuentus, tertia senectus; quarta verò illa ætas, quæ decrepita nominatur. Ex his ergo cum pueritia, ac senilis ætas fragiles sint, & despectæ, multisque morbis frequenter agitata, noluit earum meminisse, vt denotaret Dominum aliquando venturum ea ætate, quæ iucundior, ac floridior est, quandoque homo robustior, ac maioribus vitis polens videbatur. Hoc ostendit mihi Dominus Deus (ait Amos cap. 2. vers. 1.) & ecce vincinus pomorum, & dixit: Quid tu vides Amos? & dixit Sylueira in Euang. Tom. IV.

Amos 8.

vincinum pomorum. Et statim subdit Deus: Veni finis super populum meum Israel. Quid est, quod illud instrumentum ostenditur, dicitur quod venit finis populi Israel? Vincinus pomorum instrumentum est, quo ex cacumine arborum poma trahuntur, ac capiuntur. Per hunc vincinum mortem interpretantur Ribeira Fernandus vsq. si. 28. Cornelius, & alij. Per poma verò vitam nostram. Dies mei pertransierunt, quasi naues poma portantes, Iob 9. num. 26. Mors veluti vincinum non apprehendit, ac deiicit poma vitidia veluti puerilia, vel putrida tanquam senio confecta, sed illa, quæ candida, ac rubicunda electa ex millibus, quasi secuta in capitibus arborum gloriabantur in pulchritudine sua, sic & aliquando mors non pueros, non senes, sed robustos adolescentem in venustate sua præiucidos capit, & profertur; pro quo etiam facit locus proximè adductus de primogenitis Ægyptiorum.

Ribeira Fernand. Cornel. Iob 9.

Mors sæpe inuadit adolescentes in flore iuuentutis sue.

117. Chrysológus.

Quartò. D. Petrus Chrysológus serm. 24. ait, quod prima vigilia exitit tempus aduentus filij Dei in mundum. Secunda vigilia, quæ nostra redit, & resuscitatur in carne. Tertia vigilia est illa, quæ expectatio tota nouissimo venientis finitur aduentu. Quarta autem vigilia dici potest glorificatio. Nec prima, nec quarta vigiliae facit mentionem; non prima, quia iam adimpletum est tempus aduentus filij Dei in mundum, iam enim ipse venit in salutem nostram; nec etiam quarta vigiliae apponitur, quia glorificationis tempore, ac in altera vita, non est status merendi. Exprimitur secunda vigilia tempus scilicet resurrectionis, quando ipse resurrexit, vt nobis sua dona largiretur; exprimitur & tertia vigilia, id est dies iudicij. Vigilandum est secunda vigilia, vt digni inueniamur retributionis præmiorum, vigilandum est & tertia, vt præparati simus ad reddendam rationem de vita nostra.

Præparemur ad iudicium, ac ad præmium.

118. Chrysológus.

Quintò. Pondera Chrysológi ponderationem citato loco. Quare, ait, à secunda vigilia ceptum, & tacuit primam. Poterat enim dicere, & si venerit in prima, & secunda vigilia, tamen prima omittitur vigilia, & à secunda incipere voluit, vt denotetur, quod tunc quis Christi seruus reputatur, cum proficit, ac ad altiora ascendere disponitur. Vide hoc tomo, & 1. 2. ac 3. in Indice Virtus, ibi multa.

Seruus Dei semper proficit ad altiora.

119. Drogo.

Sextò. Drogo Hostiensis lib. de sacramento Passionis: si venerit in secunda, & tertia vigilia. Iam prima, ait, & quarta vigilia nulla mentio fit, quia nec prima ætas sensum recipit vigilandi, nec vltima spem prolixius dormiendi. Quod primam vigiliam omiserit, non est multum mirabile, cum enim in ea denotetur pueritia, in qua ætate sensus sunt sopiti, & homo caret rationis vsu, inde vigilia in ea prætermittitur; at quod quartam vigiliam non apponat, res valde discussione digna, cum in ea senectus repræsentetur quo in tempore homo multum prudentior est, tamen qui nec secunda, & tertia vigilia, seu nec ætate iuuenili, ac virili vigilauit, ad vltimumque penitentiam reseruauit, iam in senectute ob prauam naturæ affectionem vitii corruptam non valet in iustitia degere, ac vigilare; sicut enim prima ætas defectu vsus rationis vigilantiæ non est capax, sic nec senectus ob dominantem peccatorum morbos.

Difficilis in senectute penitentia.

120. Ezech. 37.

Sermo Domini est ad Ezechielem cap. 37. n. 1. Dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus. Erant autem multa valde super faciem campi, siccaq; vehementer. Vetustate temporis, vt explicant Carthusianus, Hugo, & alij Dúmque Vates huic, atque illuc NN 2

Carthuf. Hugo.